



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quis hominum viuit in Christo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

neficia nobis exhibentur per pœnitentiam & fidem, & retinentur per obedientiam legis, non propter illa nostra media, quanuis necessariò exigantur; sed propter suam bonitatem & misericordiam, hæc omnia nobis contingere; ideò nullum est conscientia periculum, & liberatur Ecclesia à conuicijs & calumnijs aduersariorum. Quòd verò Christus promiserit operibus ex gratia salutem & præmia multa, patet Matthei 19. Luc. 18. vbi Petrus querit, quid meruerit operibus suis &c. Et 1. Tim. 4. inquit Apostolus: Pietas ad omnia utilis est. Lege suprâ cap. 10. de bonis operib⁹. Plurimum ergò sunt distinguenda opera Christi, quæ ipse fecit: scilicet, natus, tentatus, ieiunauit, orauit, prædicauit, passus, resurrexit, cœlos ascendit, &c. ab operibus nostris, ieiunio, oratione, vigilia, obseruantia præceptorum, ac cæremoniarum &c. priora opera fecit filius Dei, nostra facit solùm homo: illa vincunt mortem, peccatum, & Sathanam: non autem nostra hoc faciunt, eo quòd sunt imperfecta & fiunt carne impura.

CAP. XXXV.

ARGUMENTA.

1. *Quis hominum uiuat in Christo.*
2. *Quomodo Deus ac Christus habitat & uiuit in nobis.*
3. *Qui uiuunt in Sathana, & in quibus ille uiuit.*

Questio inquit Gal. 2. Quòd nunc uiuo in carne, parum est, & non multum curandum: sed quòd in fide filij Dei uiuo, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me, hoc salutare est. Viuere ergò in Christo, hoc est credere, illum esse suam iustitiam, sapientiam & sanctitatem, ac redemptorem coram Deo. I. 5. patre,

patre, à quo illi donatus est Christus, 1. Corinth. 1. In tali fide consistit vera spiritualis Christiani vita, quæ multò nobilior est carnali vita nostra: Quasi diceret Apostolus: In carne quidem ego viuo, comedo, bibo, dormio, ambulo, &cæt. Sed hanc vitam, quantulacumq; est, nō habeo pro vera vita, sed illam quæ est in fide filij Dei viuentis, hæc fides est vera vita animæ, in tentatione peccati, mortis & Sathanæ: ideò dicebat Prophe. Psal. 118. Viuifica me secundum verbum tuum: sic ad Coloffen. 3. inquit Apostolus: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quantumcumq; ergò mūdus oppugnet & persequatur nos, & corpus sit fragile atq; moribūdum, anima tamen semper viuit fide filij Dei, quæ est victima pro peccatis nostris, Esai. 53. Hæc fides & vita in Christo, est illa interna pax & gaudium conscientiæ, de qua dixit Christus Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem conscientiæ. Et hanc vitam nemo potest à nobis tollere, nisi desperatio de Christo, & illam vitam in Christo absconditam mundus non videt nec intelligit, sed in tribulatione inquit ad Christianos, sicut Iudæi Christo dicebant in cruce: Veniat Deus liberans eum: sic vbi succumbunt huius mundi malis Christiani, inquit impij: Vbi est Deus eorum? Psal. 78. & 113. Nostra consolatio consistit in vita fidei quam scimus nos non derelictos, nec derelinqui, etiam si totus mūdus & omnia elementa minantur contraria. Sic inquit Christus Ioan. 16. Confidite, quia ego vici mundum. & Roman. 10. Omnis qui credit in illum, non confundetur.

Iudit. 7.
Ioc. 2.

2. Apostolus inquit ad Gala 2. Viuo iam non ego sed viuit in me Christus: Quasi dicat Apostolus, mea vita non viuo: alioqui lex dominaretur mihi, meq; captiuum retineret: omnis enim homo, iuxta naturalem & animale vitam, est subiectus legi. Et quoniam legem non seruat, ob id est mortis filius: ergò ne lex captiuet